

1570 ad Carolum Galliae Regem legaverat, Uburgus Gallo comitante; qui Uburgus, ut Regis nomine de navigatione, & mercatorum negotiis ageret, Byzantium se profectum affirmabat. Mamutes per speciem negotii ad privatos mercatores spectantis, cum Venetis tractandi, Arnolde Ferrerio, Caroli legato, suadente, ut sui Regis mentem de illius in Galliam itinere certius intelligeret, Venetiis substiterat, non absque suspicione, quod ad res Venetorum, bellicosque apparatus explorandos missus esset; Patrumque Collegium adiens, Principe, ac Patribus Selymi, ac Mehemetis Visiri nomine consalutatis, constanter affirmaverat, in Rege, ac Basa conservandae amicitiae, ac pacis studium vigere; eorum, qui secus sermonibus jactarent, voces, uti vulgi commenta, prorsus negligendas esse; Selymi-que literas ad Senatum dederat, quibus ut nonnulla ab Vischo-
cis Turcis negotiatoribus damna illata sarcirentur, petebat; paucisque exactis diebus, in Uburgum, a quo se deceptum conquereretur, acrius inVectus, per Insu-
bres itineris in Galliam faciendi facultatem expectaturum, neque Venetiis discessurum, seque omnino in Senatus voluntate futurum, constanter ajebat. At Ferrerius, Regis legatus, ut Mamutes, quem Patres detineri jusserant, dimitteretur, flagitabat; æquum non esse, ut ei, qui legatus ad suum Regem proficiscebatur, iter per Reipublicae fines impediretur. Ad hæc Princeps, ad Venetos quoque cum literis missum Mamutem esse; hostis legatum detineri belli jure potuisse, respondet. At Carolus, iis, quæ Patres impulerant, intellectis, ob eam rem nihil de sua dignitate detractum voluisse animadvertens, quæ facta fuerant, jure facta esse cognovit. Compertum postea fuit, singulari astu Turcas, speculatoris munere Mamuti delato, pacis spe suspensos animos in perficiendis iis, quæ ad bellum necessaria erant, languidiores efficere studuisse; ex quo non minimum iis utilitatis, nostris vero haud parum detrimenti accessit, cum de rerum statu certiores facti, tempestive triremes sarcire, navales apparatus instruere, ac nonnunquam ab opere cessando nostris illudere potuerint. Mamutes igitur Veronam missus, atque in Divi Felicis arce custodiri jussus est.

*Mamutes
Turcarum
Zausius
Venetiis de-
tinetur.*

*Mamutes
Veronæ in
Divi Felici-
s arce cu-
stodiri ju-
betur.*

Dum hæc geruntur, Selymus, ut, ineunte vere, præpotentem classem Hellesponto educeret, summo studio nitebantur: navales

fa-